



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

Hac præsentia diuinæ co[n]templatione vinci tentationes, & virtutem  
perseuerantia obtineri. Cap. IV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

*Hac præsentia diuina cōtemplatione vincit tentationes, & virtutem perseuerantia obtineri.*

## C A P. IV.

**C**ONTEMPLATIO diuinæ præsentia facit vt non solum à peccatis commissis resipiscamus, verum etiam vt in illa, antequam fiant, non labamur: dum enim Deum nobis quasi præsentem cōspicimus, & cor nostrum in eum attollimus, accenditur in animis nostris quædam cupiditas omnes spirituales hostes debellandi, nec deest diuinitus fauor & auxilium. Insultant quondam impii Israelis senes innoxia Susannæ, comminantes lapidibus obruendam, nisi libidini suæ faciat satis. Videmus, qua via & ratione tantam tentationem expugnarit. Considerabat nimirum se stare in conspectu Dei, Deumque in se oculos defigere. vnde tanto terrore pudoreque peccati correpta est, tantaque vi & robore aduersus peccandi tentationem erigere animum cœpit, vt nulla interposita mora decreuerit potius honoris & vitæ, cum totius familiae suæ dedecore iacturâ facere, quam consentire peccato. Sic enim respondit.

O o *Arg.*

Dan. 13.

*Angustia sunt mihi Undiq; Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus Vestras. Sed melius est mihi absq; opere incidere in manus Vestras, quam peccare in conspectu Domini. O sententiam dignissimam, quæ in omni tentatione dæmonis, vel mundi vsurpetur. Potius vitæ discrimen adiero, quam vt in conspectu Dei delinquam.*

MILES strenuus, quâdo in bellico conflictu animaduertit Imperatoris, vel Ducis belli oculos in se intentos, longe ardentius pugnat, quia scit in eius potestate esse, post partam victoriam spolia, vel officia militaria in bene meritos distribuere. quid ergo non faciat miles Christi, dum in quotidiana sua, cum dæmone, mundo, & carne dimicatione videt in se oculos diuinæ maiestatis coniectos? dum æterna meminit sibi decreta præmia? dum scit in ipso ardore pugnæ sibi affuturas diuinarum manuum suppetias? Veritatem huius rei quotidiana confirmat experientia. Si enim contingat seruum aliquem Dei, oblata succendedi vel indignandi, verbi causa, occasione, immemorem esse superni numinis, nec ordinariè cor suum in Deum eleuare, videmus eum facile prolabi in verba impatiëntiæ, vel certe

in ani-

in animo peruersas agitare cogitationes: si autem cor habeat erectū in Deum, omniaque sua pia desideria in eum referat, obrepentibus similibus tentationib. facile conquiescit, nec sinit animum suum perturbatione aliqua concitari vel succumbere.

PALLADIUS in historia sua Lausiaca commemorat se, cum aliquando adiuncto <sup>cap. 28.</sup> comite monachum quendam religiosissimum, rerumque diuinarum peritissimum, nomine Dioelem, inuiseret, inter alia hoc documentum ab eo accepisse, hominem piū, quamprimum à contemplatione diuinæ præsentia cessarit, continuo fieri, vel dæmonē vel bestiam: bestiam quidem si succumbat tērationibus carnis, & illecebrarū carnalium: dæmonem verò, si iracūdia, arrogantia & similia. Cumq; Palladius eum percunctaretur, qua ratione posset anima, nulla quiete vel cessatione interposita, defixam mentem habere in Deo? Respondit, quotiescunq; mens nostra occupata sit in consideratione pia & salutari, quæ ad Deum diducat, tum defixā esse in cōsideratione Dei. Cum autē sanctus ille, tantopere in reb. piis exercitatus dixit, hominē simulatq; Dei oblitus fuerit fieri dæmonem vel bestiam, non intellexit id fieri solo lapsu in

noxam lethalem, cum non facile is contingat seruis Dei, sed etiam lapsu leuiori immoderatae cupiditatis, qua aliquo modo similis vel demoni, vel bestiae reddatur. Quocirca nullo modo conuenit seruum Dei, ut aliquando negligat praesentem contueri Deum, imminente tentatione, & dum se occasiones offerunt irae, impatiētiæ, superbiae, vel tristitiæ mundanae, aliaque; indomite perturbationes, diuinæ obliuisci praesentiae: tunc enim celerrimè, magnaque; cum vigilantia cor eleuandum est ad Deum, eiusque; auxilium implorandum. Nam ut docuit S. Antonius, vnicum antidotum ad vincendas omnes daemones tentationes praesentissimum est, continuam Dei, cum spiritali gaudio, retinere memoriã: ea omnes illius laqueos & dolos ilico dirumpi, & in fumos euanescere. Quod autem & ipsum spiritale gaudium nascatur ex contemplatione Dei praesentis, iam iam ostendemus.

*Exercitio diuinæ praesentiae acquiri stabilitatem cordis, omnium virtutum perfectionem, & exteriorem munditiam.*

C A P. V.

**I**NTER praestantissima bona, quae sancta  
hac